DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, X. DECEMBRIS, M. IACOBO PERREAV, Doctore Medico, Præside.

An Actio à Forma? 1029.

TRIA sunt, quæ in quolibet mixto continentur, & à quibus necesse est rerum omnium vires conferri, Materies, Forma, Temperies: Crassi autem est ingenii putare, Materiam, aliquam ad agendum vim accepisse: hæc enim mera potentia, penéque ἀδυνότης est, despicatissima, & postremæ notæ substantia, rudis, informis, omnium egena propter vernaculam nuditatem in alto delitescens, solâ Formæ, (cui tanquam fundamentum substernitur) præsentiâ, in certam speciem adducitur, cum eâque in vnius compositi naturam coalescit, superstes, eadémque mansura, etiamsi illud pereat, & facessat in aliud: Quamquam autem Lunæ instar, alieno duntaxat ornatu splendet; vt tamen est maleficii divisionisque mater atque nutricula, vix vnquam bonâ fide societatem gerit cum iis, à quibus perficitur, Formis; omnibus scilicet amica, meretricis in modum omnibus eodem vultu blanditur, cúmque nequeat simul omnes complecti, hanc & illam excludit, subinde aliam admissura. Caue tamen putes sejungi, disclusásque locis posse consistere; est siquidem vtraque alterius sic appetens, vt ei annexa, alioqui moritura foveatur.

QVAM distat imperfectum à perfecto, ab habitu privatio, à bonitate malitia, tam abest ab agendi potestate Materia: Ejus nulla omnino est functio, nullus actus; & licèt nihil efficiat Forma sine patiente Materia; ab illa tamen est omne agendi principium, ab hac tantùm, perpetiendi: non aliæ à Natura datæ sunt ei partes, quàm vt Formas suo sinu excipiat, rerum conversiones, omnémque mutationum ordinem sustineat, subsitque demum contrariis, de ea tanquam de communi possessione certantibus: cùm porrò in rebus omnibus sublunaribus eadem planè sit, videant materiarii Physici, quo pacto tot dispares diversásque rerum naturalium functiones, singulis proprias & peculiares, ei vni ferre possint acceptas; certè, aut eadem rebus omnibus inesse oporteret accidentia, aut fatendum quod res est, Materiam suapte natura inertem, vim nullam effectricem habere, omnia quidem perpeti, nihil ex se profundere, nihil prorsus moliri.

EST etiam balbutientis Philosophi, necdum melioris Medicinæ Sacris initiati, cuncta Naturæ opera, ipsásque imprimis viventium actiones, deducere à commensu & temperatione primarum qualitatum, eor úmve cor porum, è quibus cætera concrevere: Ex hoc fonte qui derivat omnia, expediat, cui tribuendum sit elemento, quòd floribus non vnus sit color, vt foliis; quòd mandragora solo sit folio venenata, solo succo Aconitum, quòd Regulus solo vel obtutu vel afflatu enecet, quòd in eodem animali venenum sit certis ex partibus, ex aliis adversus hoc, remedium: quòd à Putria demorsorum membra diffluant, & soluta dilabantur? Rogem, cur Thynnis fœtus devorat suos, tantæ crudelitatis causam assignabis calorem; at suis parcit calidissimus Leo: è contrà, Ciconiæ pietatem vix commodiùs quàm in frigus conferas; hæc ipsa tamen demissos in prolobum vivos serpentes coquit. Magnam quoque à veri studiosis gratiam inierit, qui docebit, cujus elementi dominatu cum Ichneumone Crocodilus; cum Equis Cameli; Aquilæ cum Cervis, Accipitre, Cygnis perpetuas gerunt inimicitias: cur piscatoris, cujus in retia torpedo inciderit, manus derepente obtorpescit: Ad hæc & sexcenta alia temperamenti modum si adfers, quid aliud quàm vmbram captas, & inani voce, tuæ ignorationi velum prætexis?

INSCITIÆ & supinitatis alumna est eorum opinio, qui elementis perfectè, vt aiunt, mixtis, purioribus, & quasi coctione purgatis, altioris ordinis functiones, vnique in viventibus calori adscribunt omnia; quî enim hic in papavere, & similibus, præcellentis frigoris præsentiâ quidquam agat? trahit calor, expellit frigus, sed nullo discrimine quidlibet: aliunde verò est, quòd pars quæque solum succum sibi familiarem prolectet, ceu ferrum lapis Heraclius: alimentorum si alia calida, alia frigida, quæ fingitur similitudo, haud certè temperamenti est. Iam, si alia dura, alia mollia: hæc rara, illa densa: neque rursum in Materia est. Dic sodes, cujus vi temperiei, Ventriculus cibum arctè comprehendit, non antè dimissurus, quàm rite sit subactus? Placuit Galeno, ab Opifice elementis longè nobiliori nostra detornari corpora; & meritò hercle: quæ enim è pervulgatis qualitatibus, adeo elegantis corporis Homini os sublime dedit, inter tot prona animalia? quænam alia efficit, vt de appetitu bonis inhiante corporeis, triumphet victrix Ratio, ab eo, vt se res dabit, aliquando vincenda? Ad sapientiam conducere perhibetur humiditas; ita si res esset, quàm saperet limax, quàm stolidi essent Canis, Equus, Elephas! vulgò quæ valde crescunt, multo humore circumfluunt; & interim Crocodilus siccissimus in vastam abit porrectionem: nonne iræ fomentum est calor? quàm multi fortes, minimè irascuntur? sæpissime canis, & crabro, ambo tamen frigent; Scitu pulchrum fuerit, cuius elementi mancipium sit maledicus, fur, proditor, invidus, rabula, falsarius, Chymista, præstigiator? Vestiga quibus vales viribus, quodnam infelix elementum in quibusdam ingenerat casei abominationem, quarum coitu & temperatione qualitatum acetum his compescit, illis incitat vomitum: vnde nonnulli ad rosæ, alii ad felis conspectum cadunt terrore quassati; his limæ stridor, istis vestium sericarum sibilus quasi quidam horrorem incutit; huic phormingis sonus invito vrinam exprimit: næ qui ad elementorum qualitates reducunt omnia, ipsi nihil aliud quàm elementa sunt, & miseri rubiginosique homines iudicii.

A FORMA igitur, quæ rei cujusque naturalis est perfectio, character, nota, & divina res, aliam totam sui implens substantiam, quotquot cernimus effectus, primùm maximéque proficiscuntur: hæc Mundi scenam pulchritudine sua exornat, spectandáque varietate distinguit: hæc in viventibus calorem regit, elicitque reliquorum munium actiones, quas qui supra sensus nihil quærunt, à Materia & Temperamento nasci prædicant; ei quidem subsidio veniunt tanquam instrumenta; at manerent otiosa, nisi Formæ vi cierentur, priúsque hæc agendi vim accepisset, quàm per illa ageret: fabro, cui sua inest ars, & facultas, efficiendi causam quis adimat, vt securi vel serræ tribuat? adiumento sunt suâ adscitâ virtute, non quæ agat; sed quâ meliùs commodiúsque agatur. Non est tam plebeiæ sortis anima, vt opem ministeriúmve petat quasi à viatore, aut lictore: suo ipsa præsidio movet corpus, nullius interventu rei; nec aliter ab eo pendet, quam à delatore Princeps, coquit in Ventriculo, recoquit in Iecore, perficit in Venis, digerit in Membra, mutat in Corpus, sufficit, vnit, instaurat, redintegrat. Ea ipsa cuiusque speciei temperaturas pingit ejusmodi proprietatibus, quarum causas nullâ aliâ indagatione erueris; vlterior disquisitio morosi & satagentis animi est, in hac præsertim caligine, in qua solas rerum imagines inspicimus quasi per cancellos, sapientiæque pars est, æquo animo velle non omnia pervidere.

Ergo Actio à Forma.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Tardi.
M. Ioannes Forestier.
M. Michaël du Pont.



M. Petrus de Mersenne.
M. Andreas Guiet.
M. Ioannes Garbe.



M. Renatus Moreau, Prof. Regius.
M. Dionysius Alain.
M. Petrus Beaurains.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS PATIN, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LIV.